

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Epistola ad Petrum luari (1524)

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 1. Bind / ved Marius Kristensen. - 1932 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 1. Bind / ved Marius Kristensen. - 1932 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, udg. af P. SEVERINSEN , 1932-1948, s. 182. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helgesen01-shoot-idm140085695788192/facsimile.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 1. Bind / ved Marius Kristensen. - 1932 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

theranice factioni tantopere fauissem? Ista scripsi sola commiseratione pauperum, absque ulla spe lucri ad me saltem redituri, quod semper toto pectore ac propemodum ex ui horrebam tyrannidem ac impietatem. Quid putas fecissem, si ambiissem amplam 5 ditionem, aut pingue sacerdotium [93] quorundam exemplo, qui nihil non faciunt quo undecunque lucelli aliquid corradant. Si scires, mi Petre, qua causa et quibus authoribus natum est istud de me commentum, non dubito quin aliter de Paulo sentires 10 quam facis, et forte multo negotio (si tamen in te est ulla mica salis) me ab hac iniuria assereres.

Sunt qui nihil aliud cupiunt, quam ut extinguantur penitus sinceriora studia, que putant meis uigiliis in nonnullis scholis Dacie esse adiuta, etiamsi 15 in hoc falluntur. Conatus sum quidem pro uiribus, sed parum efficere potui, cum ob meam imbecillitatem, tum maxime ob stultos quosdam senes, qui nunquam non reclamant studiorum Mecenatibus, adeoque pietatis studiis obstrepentes, ut malint perpetuo barbariem regnare quam uel tantillum estimationis amittere, qui olim habiti sunt rabini et doctores. Non intelligunt, inuidum et non religiosum esse eas odisse literas, quas nesciunt. Nec solidis 25 argumentis quicquam moliuntur, sed tantum strophis et technis instructi, furore et insania perciti, clamant hereticum eum, qui uel Christum uel Paulum uel Petrum in scholis interpretatur. Ego in omnibus pietatem et auctoritatem ueneror, dignitatem agnosco etiam in malis, sed impietatem, tyrannidem, fastum, 30 auaritiam detestor atque perpetuo detestabor, etiamsi rumpantur ilia Codro. Non quod id passim faciam,

sed cum res, locus et tempus postulant. Neque tamen nominatim quenquam perstringo sed tantum in genere, unde nemo leditur nisi malus. Obsecro igitur, ne prodigiosis uocibus tuis me insecteris. Orthodoxus sum, non hereticus, Paulus uocor, non Lutheranus. Quod si perrexeris facere quod fecisti, et non officii lesam famam meam sarcieris, etiam me tacente et dissimulante ab aliis etiam iuuenibus excipieris, ut dignus es. Alios uero hypocritas, quos¹⁰ uobiscum adduxistis, ipse suis coloribus pingam, nec patiar inultam esse illorum impiam garrulationem, cum rescuero quidnam ipsi egerint in uestro sodalicio. Uehementer namque fidei uicem doleo, si talibus [94] nitatur patronis. Tu interim caue, ne olim¹⁵ ab albo eruditorum, in quo scriptus es, eradaris; habeo mihi fauentissimos adolescentes, qui non patientur uestem meam gratis lacerari, nedum famam aut nomen. Uale, et Deum pro me exora.

Ex Schelschør anno Domini M. D. XXIII.

²⁰ 3.die Nouembris.